



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Vitae Sanctorvm

Lippeloo, Zacharias

Coloniae Agrippinæ, 1603

Vita S. Hilarionis Abbatis: Ex ea quæ est per D. Hirnonymum. Migravit è corpore anno Christi trecentesimo sepuagesimosecundo, Damasi Papæ 6. Valentiniani, Valentis Imp. 9.

urn:nbn:de:hbz:466:1-42787

Martyrium SS. Ursulae inuenies ad finem huius libri.

VITA S. HILARIONIS ABBATIS:

Ex ea quae est per D. Hieronymum. Migravit è corpore anno Christi trecentesimo septuagesimo secundo, Damasi Papae 6. Valentiniani, Valentis Imp. 9.

HILARION ortus vico Thabatha, qui circiter quinq; millia à Gaza vrbe Palaestinae ad Austrum situs est, cum haberet parentes idolis deditos, rosa, vt dicitur, de spinis floruit. A quib. missus Alexandriam, grammatico traditus est: ibique quantū illa patiebatur aetas, magna ingenij & morum documenta praeuit in breui, charus omnibus & loquendi arte gnarus. Quodque his maius est omnibus, credens in Dominum Iesum, non Circi furoribus, non arenae sanguine, non theatri luxuria delectabatur: sed tota illi voluntas in Ecclesiae erat congregatione. Audiens autem tunc celebre nomen Antonij, quod per omnes Aegypti populos ferebatur, incensus visendi eius studio, perrexit ad eremum. Et statim vt eum vidit, mutato pristino habitu, duobus ferè mensibus iuxta eum mansit, contemplatus ordinem vitae, morumque grauitatem; quam creber in oratione, q̄ humilis in suscipiendis fratribus, seuerus in corripiendis, alacer in exhortandis esset, & vt continentiam, cibiq; eius asperitatem nulla vnquam infirmitas frangeret. Porro frequentiam eorum, qui ad eum ob varias passiones, aut impetus demonum concurrebant, vltra non ferens,

nec

21. Octob.
S. Hilarionis
Patria.

Adhibetur
litteris.

Manet duobus mensibus
apud S. Antonium: cuius
vita habetur 17. Ianuarij.

nec congruum esse ducens pati in eremo populos ciuitatum, sicque sibi magis incipiendum esse, vt coepisset Antonius: illum quasi virum fortem victoriae praemia accipere, se necdum militare coepisse, reuersus est cum quibusdam monachis ad patriam. Et parentibus iam defunctis, partem substantiae fratribus, partem pauperibus largitus est; nihil sibi omnino reseruans. Erat autem tunc annorum quindecim. Sic nudus & armatus in Christo, solitudinem, quae in septimo milliario à Maioma Gaza emporio per littus euntibus Aegyptum ad laeuam flectitur, ingressus est. Cumque essent cruenta latrocinij loca; & propinqui amicis eius imminens periculum denunciarent, contempsit mortem; vt mortem euaderet. Mirabantur omnes animum; mirabantur aetatem; nisi quod flamma quaedam pectoris; & scintillae fidei in oculis relucebant. Lenēs erant genae, delicatum corpus & tenue; & ad omnem iniuriam impatiens; quod leui vel frigore vel aestu posset affligi.

*Substantiam
suam fratribus
& pauperibus di-
uidit.*

*Ingitur
eremum.*

*Amictus eius
& abstinentia prima.*

Isaia 14.

Igitur sacco tantum membra coopertus, & pellicum habes ependyten, quem illi beatus Antonius proficiscenti dederat, sagumque rusticum, inter mare & paludem vasta & terribili solitudine fruebatur; quindecim tantum carycas post solis occasum comedens; & quia regio latrocinij infamis erat, nunquam in eodem loco mansitans. Quid faceret diabolus? quod se verteret? Qui gloriabatur ante dicens: In caelum ascendam; super sydera caeli ponam thronum meum, & ero similis altissimo: cernebat se vinci à puero; & prius ab eo calcatum fuisse; quam

quàm per ætatem calcare potuiffet. Titillabat
itaque sensus eius, & pubescenti corpori soli-
ta voluptatum incendia suggerebat. Cogeba-
tur tyrunculus Christi cogitare, quod nescie-
bat: & eius rei animo pompam voluere, cuius
experimenta non nouerat. Iratus itaque sibi &
pectus pugnis verberans, quasi cogitationes
cede manus posset excludere: Ego, inquit, a fel-
le faciam vt non calcitres; nec te hordeo alam,
sed paleis: fame te conficiam & siti; graui one-
rabo pondere; per æstus indagabo & frigora: vt
cibum potiùs quàm lasciuiam cogites. Herba-
rum ergo succo, & paucis carycis post tri-
dium vel quadriduum deficientem animam
sustentabat, orans frequenter & psallens, &
rastrum humum fodiens: vt ieiuniorum laborem
labor operis duplicaret. Simulatque fiscellas
iunco texens, æmulabatur Aegyptiorum mo-
nachorum disciplinam, & Apostoli sententiã
dicentis: Qui autem non operatur non man-
ducat. Sic attenuatus, & intantum exeso corpo-
re, vt ossibus vix hæreret, quadam nocte cœpit
infantum audire vagitus; balatus pecorum: mu-
gitus bouum: planctum quasi mulierum: leonũ
rugitus: murmur exercitus: & rursus variarum
portenta vocum: vt antè sonitu, quàm aspectu
territus cederet. Intellexit dæmonum ludi-
bria: & prouolutus genibus, Christi Crucem
signauit in fronte: taliq̃ue armatus casside, &
lorica fidei circumdatus, iacens fortiùs prælia-
batur, amodo videre desiderans, quos horrebat
audire: & sollicitis oculis huc illucq̃ue circũ-
spiciens: cum interim ex improuiso splenden-
te luna, cernit rhedam feruentibus equis super

*Tentatur à
satana.*

*En quibus
modis S. c.
dolescens
domat libi-
dinem.*

2. Thess. 2.

*Signat se
Cruce Chr-
sti.*

S

ic 18

*Demonum
Indubria.*

se irruere: cumque in clamasset Iesum, ante oculos eius repetino terræ hiatu pompa omnia absorpta est. Multæ sunt tentationes eius, & die noctuque variæ demonum insidiæ: quas si omnes narrare velim, modum excedam voluminis. Quoties illi nudæ mulieres cubanti, quoties esurienti largissimæ apparuere dapes? Interdum orantem lupus ululans, & vulpecula ganniens trāsiliuit; psallentiq; gladiatorū pugna spectaculū præbuit; & vnus quasi interfectus, & ante pedes eius corruens, sepulturā rogauit. Orauit semel fixo in terram capite: & ve natura fert hominū, abducta ab oratione mēs, nescio quid aliud cogitabat: Infilit dorso eius festinus gladiator, & latera calcibus, ceruicem flagello verberans: Eia, inquit, cur dormitas? cachinnansque desuper, cū defecisset, an hoc deum vellet suscipere, sciscitabatur.

*Tuguriolum
eius.*

Cellula.

Cubile.

*Vestes &
Cilicium.*

Igitur à sextodecimo vsque ad vicesimū sui sui ætatis annum, æstus & pluias breui tuguriunculo declinavit; quod iunco & carice texerat. Extructa deinceps breui cellula, quæ vsque hodiè permanet, latitudine pedum quatuor, altitudine pedum quinque, hoc est, statura sua humiliore; porrò lōgitudine paulò ampliore, quàm eius corpusculum patiebarur, vt sepulchrum potiùs quam domum crederes. Capillum semel in anno die Paschæ toto die super nudam humum, stratumque iunceum vsque ad mortem cubitauit; saccum, quo semel fuerat iudutus, nunquam lauans; & superfluum esse dicens, munditias in cilicio querere. Ne mutauit alteram tunicam nisi cū prior penitus

rūs scissa esset. Scripturas quoque sanctas memoriter tenens, post oratiōes & psalmos, quasi Deo præsente recitabat.

A vicesimo primo anno, vsque ad vicesimum septimum, tribus annis dimidium lentis sextarium madefactum aqua frigida comedit, & alij tribus panem aridū cum sale & aqua. Porro à vicesimo septimo vsque ad tricesimū herbis agrestibus & virgultorum quorundam radicibus crudis sustentatus est. A tricesimo autem primo vsq; ad 35. sex vncias hordeacei panis & coctum modicè olus absq; oleo in cibo habuit. Sentiens autē caligare oculos suos, & totum corpus imperigine, & pumicea quadam scabredine contrahi, ad superiorem victū adiecit oleum, & vsque ad 63. vitæ suæ annum hoc continentia cucurrit gradu; nihil extrinsecus aut pomorum, aut leguminis, aut cuiuslibet rei gustans. Indè cum se videret corpore defatigatum, & propinquam putaret imminere mortem, à 64. anno vsq; ad 80. pane abstinuit incredibili feruore mentis; vt eo tempore quasi nouus accederet ad seruitutem Dei, quo ceteri solent remissius viuere. Fiebant autem ei de farina & comminuto olere sorbitiuncula, cibo & potu vix quinq; vncias appendentibus. Sicque complens ordinem vitæ, nunquā antè solis occasum, nec diebus festis, nec in grauissima valetudine soluit ieiunium.

Cum habitaret adhuc in tuguriolo annos natus decē & octo, latrones ad eū nocte venerūt, vel existimātes habere aliquid, quod tollerēt, vel in contemptum sui reputantes fieri, si puer solitarius eorum impetus non pertimesceret.

Mira abstinentia eius.



*Error latro-
num tota
nocte.*

*Contemnit
mortem ad-
huc puer.*

*Impetrat
sterili par-
tum.*

Itaque inter mare & paludem à vespere vsque ad solis ortum discurrentes, nunquam locum eius cubiculi inuenire potuerunt. Porro clara luce reperto puero, quasi per iocum: Quid, in-
quiunt, faceres, si latrones ad te venirent? Qui-
bus ille respondit: Nudus latrones non timeo.
Et illi: Certè, aiunt, occidi potes. Possum, in-
quit, possum: Et ideo latrones non timeo, quia
mori paratus sum. Tunc admirati constantiam
eius & fidem, confessi sunt noctis errorem, ca-
catosque oculos, correctiorem deinceps vi-
tam pollicentes. Viginti & duos iam in solitu-
dine habebat annos, fama tantum notus omni-
bus & per totas Palæstinæ vulgatus vrbes, cum
interim mulier quædam Eleutheropolitana
cernens despectui se haberi à viro ob sterilita-
tem (iam enim per annos 15. nullos coniugij
fructus dederat) prima irrumperè ausa est ad
beatum Hilarionem, & nihil tale suspicaci re-
pentè genib. eius aduoluta: Ignosce, inquit, au-
daciæ, ignosce necessitati meæ. Quid auertis o-
culos? Quid rogantem fugis? Noli mulierè ad-
spicere, sed miserâ. Hic sexus genuit Saluatorem.
Non habet sani opus medico, sed qui malè ha-
bèt. Tandem substitit, & post tantum tempus
visa muliere, interrogauit causam aduentus eius
ac fletuum. Et postquam didicit, leuatis ad ca-
lum oculis, fidere iussit: euntemque cum lachry-
mis profecutus, exacto anno, vidit cum filio.
Hoc signorum eius principiū, maius aliud si-
gnū nobilitauit. Aristaneta Helpidij, qui po-
stea præfectus pratorio fuit, vxor valde nobi-
lis inter suos, & inter Christianos nobilior, re-
uertens cum marito & tribus liberis à B. Anto-
nio,

nio, Gazæ propter eorum infirmitatem remora-
 rata est. Ibi enim, siue ob corruptum aërem, si-
 ue, vt postea claruit, propter gloriam Hilarionis
 serui Dei, Hemitritæo pariter arrepti, omnes
 à medicis desperati sunt. Iacebat vlulans
 mater, & quasi inter tria filiorum discurrens
 cadauera, quem prius plâgeret, nesciebat. Co-
 gnito autè quòd esset quidam monachus in vi-
 cina solitudine, oblita matronalis pompe, tan-
 tum se matrem nouerat: vadit comitata ancil-
 lulis & eunuchis; vixque à viro persuasum est,
 vt a sello sedens pergeret. Ad quem cum per-
 uenisset: Per ego te, ait, Iesum clementissimum
 Deum nostrum obtestor, per Crucem eius &
 sanguinem, vt reddas mihi tres filios, & glo-
 rificetur in vrbe Gentiliū nomen Domini Sal-
 uatoris, & ingrediatur seruus eius Gazam, &
 Marnas corruat. Renuente illo, & dicente, nū-
 quam se egressurum de cella, nec habere con-
 suetudinem, vt non modò ciuitatem, sed nec
 villulam quidem ingrederetur, prostravit se
 illa humi, crebrò clamitans: Hilarion serue
 Christi, redde mihi liberos meos: Quos Anto-
 nius tenuit in Aegypto, à te seruentur in Syria.
 Flebant cuncti qui aderant, sed & ipse negans
 fleuit. Quid multa? Non prius mulier recessit,
 quam ille pollicitus est, se post solis occasum
 Gazam introiturum. Quòd postquã venit, singu-
 lorum lectulos & arentia membra cõsiderans,
 inuocauit I E S U M. Et ò mira virtus, quasi de
 tribus fontibus sudor erupit: eademque hora
 acceperunt cibos, lugentemque matrem cog-
 noscentes & Deum benedicentes, sancti ma-
 nus deosculati sunt. Quod postquã auditum

*Hemitritæo
 sesquitertia-
 na febris.*

*Tres pueros
 à medicis de-
 speratos sa-
 nat.*

S 3 est, &

est, & longè lateq; percrebuit, certatim ad eum de Syria, & Aegypto confluebant; ita vt multi crederet in Christum, & se monachos profiterentur. Necdùm enim tunc monasteria erant in Palæstina, nec quisquam monachum antè sanctum Hilarionem in Syria nouerat. Ille fundator & eruditor huius conuersationis & studij in hac prouincia fuit. Habebat Dominus Iesus in Aegypto senem Antonium; habebat in Palæstina Hilarionem iuniorem.

S. Hilarion primus in Syria monasteriorum fundator.

Facidia vicus est Rhinocoruræ vrbis Aegypti. De hoc (sunt decem iam anni) cæca mulier adducta est ad beatum Hilarionem: oblataque ei à fratribus (iam enim multi cum eo monachi erant) omnem se substantiam ait expendisse in medicos. Cui respondit; Si quæ in medicis perdidisti, dedisses pauperibus, curasset te verus medicus Iesus. Clamante autem illa & misericordiam deprecante, expuit in oculos eius sratimq; Saluatoris exemplum virtus eadè profecuta est. Auriga quoq; Gazensis in curru percussus à dæmone, totus obrigit: ita vt nec manus agitare, nec ceruicem posset reflectere. Delatus ergò in lecto, cum solam linguam moueret ad preces, audit non priùs posse sanari, quàm crederet in Iesum, & se sponderet arti pristina renunciatum. Credidit; spondit sanatus est: magisq; de animæ, quam de corporis salute exultauit.

Marc. 8. Cæca videt.

Aeger percussus à dæmone sanatur.

En iuuenis cuiusdam admirandæ vires.

Prætereà fortissimus iuuenis, nomine Marfitas, de territorio Hierosolymæ, tantum sibi applaudebat in viribus, vt quindecim frumenti modios diu longèq; portaret: & hanc haberet palmam fortitudinis suæ, quod asinos vince-

ret. Hic afflictus pessimo dæmone, non catenas,
non compedes, nō claustra ostiorū integra pa-
tiebatur; multorum nasum & aures morsibus
amputauerat; horum pedes, eorum gulam fre-
gerat; tantumq; sui terrorem omnibus incusse-
rat, vt oneratus catenis & funibus in diuersa
nitentium quasi ferocissimus taurus ad mona-
sterium pertraheretur. Quem postquam fra-
tres vidēre, perterriti (erat enim miræ magni-
tudinis) nunciauerunt Patri. Ille sicut sedebat,
iussit eum ad se pertrahi & dimitti. Solutoque:

*Dæmonia-
curatur.*

Inclina, ait, caput, & veni Tremere ille & cer-
nicē flectere, nec adspicere cōtrā ausus, omniq;
ferocitate deposita, pedes cepit sedentis lam-
bere. Adiuratus itaq; dæmon, & tortus qui iu-
uenem possederat, septima die egressus est.

Orionus vir primarius & ditissimus vrbis
Aila, à legione possessus dæmonum, erumpens
de manibus se tenentium, sanctū cum fratrib,
deambulante amplexus est post tergum, & in
sublime leuauit. Clamor ortus ab omnibus: ti-
mebant enim nē confecta ieiunij mēbra colli-
deret. At sanctus arridens: Sinite, inquit, & mi-
hi meum palæstritam dimittere. Ac sic reflexa
super humeros manu, caput eius tetigit, appre-
hensoq; crine antè pedes adduxit, stringens ē
regione ambas manus eius & plantas vtroque
calcans pede, simulq; ingeminans: Torquere
dæmonum turba, torquere. Cumq; ille eiula-
ret, & reflexa ceruice, terram vertice tangeret:

*Legio dæ-
monum ab
homine peb-
litur.*

Domine, inquit, IESU solue miserum, tolle
captiuum: Vt vnum, ita & plures vincere, tuum
est. Rem loquor inauditam. Ex vno ho-
minis ore diuersæ voces, & quasi confusus

T 4 populi

populi clamor audiebatur. Curatus ita & hic, non post multum temporis, cum vxore & liberis venit ad monasterium, plurima, quasi gratiam redditurus, dona afferens. Cui sanctus: Non legisti, inquit, quid Giezi, quid Simon, passi sunt; quorum alter accepit precium, alter obtulit; ut ille venderet gratiam Spiritus sancti, hic mercaretur? Cumque Orionus flens diceret: Accipe & da pauperibus, respondit: Tu melius potes tua distribuere, qui per vrbes ambulas, & nosti pauperes. Ego, qui mea reliqui, cur aliena appetam? Nemo melius erogat, quam qui sibi nihil reseruat.

Porro vniuersa, quibus in vita coruscant, miracula insignia enarrare si voluero: tempus maturius sanè quam res me deficiet. In tantam enim à Domino fuerat eleuatus gloriâ, ut beatus quoque Antonius audiens conuersationem eius, scriberet ei, libenterque eius epistolas sumeret; & si quâdo de Syriæ partibus, ad se languentes perrexisset, diceret eis: Quare vos tam longè vexare voluistis, cum habeatis ibi filium meum Hilarionem? Exemplo itaque eius per totam Palestinâ innumerabilia monasteria esse cœperunt, & oēs ad eum monachi certatim currere. Quod ille cernens, laudabat Domini gratiam, & ad profectum animæ singulos cohortabatur: præbensque de se cunctis humilitatis & officij exemplum, statis diebus antè vindemiam iultra bat cellulas monachorum. Quod postquam cognitum est à fratribus, omnes ad eum confluxerunt: & comitari tali duce, circuibant monasteria, habentes viaticum suum: quia interdum vsq; ad duo millia hominum congregabantur. Sed

4. Reg. 5.
1. Reg. 8.

In quibus
fecerit S.
Antonius
Hilarionem.

Enumerata
monasteria
in Palestina.

Sed & procedente tempore vnaquæque villula vicinis monachis, ad susceptionem sanctorum gaudens, cibos offerebat.

Sexagesimo igitur vitæ suæ anno cernens grande monasterium & multitudinem fratrum secum habitantium, turbasque eorum, qui diuersis languoribus & immundis spiritibus occupatos ad se deducebant, ita vt omni genere hominum solitudo per circuitum repleretur, sebat quotidie & incredibili desiderio conuersationis antiquæ recordabatur. Interrogatus à fratribus, quid haberet, cur se cōficeret, ait, Rursum ad sæculum redij, & recepi mercedem meam in hac vita. En homines Pa-

*Non fert cō-
cursum ho-
minum so-
litudinis a-
mator Hila-
rion.*

*S. Antonij o-
bitum aiur-
nitum discit.*

*En vulgi de-
uotionem ex-
gā benedictū
panem ex
oleum,*

læstinæ, & vicinæ prouinciæ existimant me allicuius esse momenti: & ego sub prætextu monasterij ad dispensationem fratrum, vilem suppellectilem habeo. Cumque ita vixisset lugens biennium, Aristoneta illa, cuius supra fecimus mentionem, præfecti tunc vxor venit ad eum, volens etiam ad Antonium pergere. Cui ille flens, Vellem, ait, ipse quoque ire, si non carcere huius monasterij elausus tenerer, etsi eundi fructus esset. Biduum enim hodie est, quod totus mundus tali parente orbatus est. Credidit illa, & substitit. Et post paucos dies, veniente nuncio, Antonij dormitionem audiuit.

Concurrerant Episcopi, presbyteri, clericorum & monachorum greges, matronæ quoque Christianorum, grandis tentatio; & hinc inde ex vrbibus & agris vulgus ignobile: sed & potentes viri & iudices, vt benedictum ab eo panem & oleum acciperent, At ille nihil aliud nisi solitudinem meditabatur; intantum

T 5 vt qua-

vt quadam die proficisci statuerit : & addu-
cto afello (nimis quippè exesus ieiunijs, vix in-
gredi poterat) iter arripere conaretur. Quod
cùm percrebuisse, & quasi vastitas & iusti-
tium Palestinæ indiceretur, plusquam decem
hominum millia diuersæ ætatis & sexûs, ad re-
tinendum eum congregata sunt. Immobile il-
le ad preces & * baculo arenas discutiens, lo-
quebatur; Fallacem Dominum meum non faci-
ciam: non possum videre subuersas ecclesias,
calcata Christi altaria, filiorû meorû sangui-
nem. Vniuersi autem qui aderant, intelligebat
reuelatû ei quiddâ esse secreti, quod nollet cõ-
fiteri: & nihilominus custodiebat eum ne pro-
ficisceretur, Decreuit ergò publica omnes vo-
ce contestans, nõ cibi se, non potûs quidquâ su-
mere, nisi dimitteretur. Et post septē dies in-
diæ, tandem relaxatus, ac valedicens plurimis,
cum infinito agmine prosequentiu venit Beti-
lium: vbi dimissis ad propria turbis assumptis
40. monachis quinto post die venit Pelusium;
visitatisque fratribus, qui in vicina eremo e-
rant, & in loco, qui dicitur Lychnos, mora-
bantur, perrexit post triduum ad castrum
Theubarum, vt videret Dracontium Episco-
pum, & confessorem qui ibi exulabat. Quo in-
credibiliter consolato, tanti viri præsentia;
post aliud triduum, multo Babylonem labore
peruenit, vt videret Philonem Episcopum &
ipsum confessorem. Constantius enim rex, A-
rianorum fauens hæresi, vtrumque in ea loca
deportauerat. Indè egrediens, post triduum, ve-
nit ad oppidum Aphroditon; vbi duobus se-
cum tantum retētis fratribus, in vicino eremo
mora-

* bacillo
Prænoscit
Arianorum
crudelitatem.

Migrat alio.

Dracontium
& Philo E-
piscopi ob fi-
dem Catho-
licam extor-
ves.

moratus est, rãta abstinẽtia & silentio, vt tunc primũ se cœpisse Christo seruire diceret. Porro iam triennium erat, quod clausum cælum terras illas arefecerat; vt vulgo dicerent, Antonij mortem etiam elemẽta lugere. Nõ latuit fama Hilarionis accolã quoque illius loci, & certatim virilis ac muliebris sexũs ora luridi & attẽuati fame, pluias à seruo Christi, id est, à beati Antonij successore, deprecabãtur. Quos ille cernens mirè doluit: eleuatĩsque in cælum oculis, & vtrãsq; in sublime erigès palmas, statim impetrauit, quod rogauerat, Eccè autẽ sitiens arenosaque regio, postquã pluuijs irrigata esset, tantam serpentũ & venenatorũ animalium eximproviso abulliuit multitudinem, vt percussĩ innumerabiles; nisi ad Hilarionẽ concurrissent, statim interirent. Benedicto itaque oleo vniuersi agricolã atque pastores tangentes vulnera, certam salutem resumebant.

Pecibus impetrat pluuias S. Hilarion.

Vide miram vim olei benedicti.

Videns etiam ibi se miris honoribus affici, perrexit Alexandriam: indẽ ad vltiorẽ Oasim eremum transiturus. Et quia nunquam, ex quo cœperat esse monachus, in vrbibus manserat, diuertit ad quosdam fratres sibi notos in Brutio, haud procul ab Alexandria: qui miro gaudio eum susceperunt. Egressus de Brutio per inuiam solitudinem intrauit Oasim: ibique anno plus minus exacto, quia illic quoque sua fama peruenerat, quasi iam in Oriente latere non posset, vbi multi eum & opinione & vultu nouerant, ad solas nauigare insulas cogitabat: vt quem terra vulgauerat, saltẽ maria celarent.

Eodem fermẽ tẽpore Hadrianus discipulus eius

*Latitat in
Sicilia.*

eius de Palæstina superuenit, dicens, occiso Iuliano, Christianum Imperatorem regnare coepisse; reuerti eum debere ad monasterij sui reliquias. Quod ille audiens, detestatus est; & cōducto camelo per vastam solitudinem peruenit ad maritimam urbem Libyæ Parætonium. Indè cum Gazano discipulo nauigauit Sicilia; & in Pachyno promontorio, vicesimo à mari milliario, sedem fixit: vbi in quodam deserto agello, lignorum quotidie fascem alligās, imponebat dorso discipuli. Quo in proxima villa venundato, & sibi alimoniam, & his qui fortè adeos veniebant, pauxillum panis emebant.

Mathei 5.

Sed verè non potest ciuitas latère supra montem posita. Scutarius quidam, cum in basilica beati Petri Romæ torqueretur, clamauit in eo immundus spiritus: Antè paucos dies Siciliam ingressus est Hilarion seruus Christi; & nemo eum nouit, & putat se esse secretum: ego vadā & prodam illum. Statimque cum seruulis suis ascensa in portu naue, appulsus est Pachynū, & deducente se dæmone, vbi antè tugurium senis se prostravit, ilicò curatus est. Hoc initū signorum eius in Sicilia, innumerabilem ad eū deinceps ægrotantium, sed & religiosorum hominum adduxit multitudinem; intantum vt de primoribus quidam tumens morbo intercutis, eodem die, quo ad eum venerat, curatus fit. Vndè vir sanctus ad barbaras statuens peregere nationes, vbi & nomen & sermo suus foret incognitus, ad Epidaurum Dalmatiæ oppidum est profectus: vbi paucis diebus in vicino agello mansitans non potuit abscondi. Siquidem

Demon expellitur ab eo.

Rursus migrat alia.

dem draco miræ magnitudinis, quos gentili sermone boas vocant, ab eo, quòd tam grandes sint, vt boues glutire soleant, omnem latè vastabat prouinciam; & non solùm armenta & pecudes, sed agricolas quoque & pastores, tractos ad se vi spiritus, absorbebat. Cui cum pyrum iussisset præparari, & oratione ad Christum missa, euocato præcepisset struem lignorum scandere, ignem supposuit. Tum itaque cuncta spectante plebe, immanem bestiam concremavit. Vnde æstuans quid faceret, quò se verteret, aliam parabat fugam; & solitarias terras mente perlustrans mœrebat, quòd tacente de se lingua, miracula loquerentur.

*Immanem
draconem
exurit.*

Ea tempestate terræ motu totius orbis, qui post Iuliani mortè accidit, maria egressa sunt terminos suos: & quasi rursus Deus diluuium minaretur, vel in antiquum chaos redirent omnia, naues ad prærupta delatæ montium penderunt. Quod cum viderent Epidauritani, frementes fluctus & vndarum moles, & montes gurgitum littoribus inferri, verentes, quod iam euenisse cernebant, ne oppidum funditus subuerteretur; ingressi sunt ad senem, & quasi ad prælium proficiscentes: posuerunt eum in litore. Qui cum tria Crucis signa pinxit in sabulo, manusque contrà tenderet, incredibile dictu, in quantam altitudinem intumescens mare antè eum steterit, ac diu fremens, & quasi ad obicem indignans, paulatim in semetipsum relapsus est. Hoc Epidaurus, & omnis illa regio vsque hodiè prædicat, matresque docent liberos suos ad memoriam in posteros transmittendam. Mirabatur omnis ciuitas, & magni-

*Terræ motus
generalis.*

*Eccè sibi ad-
mirabilem
vim Crucis.*

Venit in Cyprum S. Hilarion.

magnitudo signi Salonis quoque percrebuerat. Quod intelligens senex, in breui lembo clam noctu fugit; inuenta que post triduum oneraria naui, perrexit Cyprum. Cumque inter Maleam & Cythera pirata, derelicta classe in littore, que non antenna sed conto regitur, duobus haud paruis myoparonib. occurrissent, & denuo hinc inde fluctus occurrerent, remiges omnes, qui in naui erant, trepidare, flere, discurrere, preparare contos, & quasi non sufficeret vnus nuncius, certatim seni piratas adesse dicebant. Quos ille procul intuens, subristit; & conuersus ad discipulos dixit: Modice fidei, quare trepidatis? Nunquid plures sunt hi, quam Pharaonis exercitus? tamen omnes, Deo volente, submersi sunt. Loquebatur hic, & nihilominus spumantibus rostris, hostiles turbae imminabant, iactu tantum lapidis medio. Stetit ergo in prora naui, & porrecta contra venientes manu, Hucusque, ait, venisse sufficiat. O mira rerum fides: statim resoluere nauiculae, & impellentibus contra remis, ad puppim impetus redit. Mirabantur piratae, post tergum se redire nolentes; totoque corporis nixu, ut ad nauigium peruenirent, laborantes, velocius multo, quam venerant, ad littus ferebantur.

Exodis.

*Insigni mi-
vaculo repel-
luntur pirata.*

Præmitto cetera, ne videar in narratione signorum volumen extendere. Hoc solum dicam, quod prospero cursu inter Cycladas nauigans, hinc inde clamantium de urbibus, & vicis, & ad littora concurrentium immundorum spirituum voces audiebat. Ingressus ergo Paphum, urbem Cyprum, nobilem carminibus poetarum, quae frequenter terramotu lapsa

In Cypro commoratur.

munc ruinarum tantum vestigijs, quid olim fuerit, ostendit: in secundo ab vrbe milliario habitabat ignobilis, gaudensque quod paucis diebus quiete viueret. Verum non ad plenum viginti transiere dies, cum per illam omnem insulam, quicumque immundos habebant spiritus clamare coeperunt, venisse Hilarionem seruum Christi, & ad eum se debere properare. Hoc Salamina, hoc Curiu, hoc Laphera, & vrbes reliquæ conclamabant: plerisque afferentibus, scire se quidem Hilarionem & verum illum esse famulum Dei, sed vbi esset, ignorare. Intrà triginta igitur, nec multo amplius dies, ducenti ferme, tam viri, quam mulieres ad eum congregati sunt; quorum alij statim, alij post biduum triduumve, omnes veidò intrà vnam hebdomadam curari sunt.

*200. obsessi
plurimum
curantur.*

Manens itaque ibi biennio, & semper de fuga cogitans, tandem in ipsa insula ad secretiorem locum, duodecim millibus à mari distantem, arboribus hinc indè constitum, inter secretos asperosque montes, quo vix reptando manibus genibusque possit ascendi, perrexit. Erat is locus amœnus quidem, sed doemonibus adedò infestus, vt tam innumerabilium per noctes & dies demonum resonarent voces; ingetem exercitum vt omninò crederes. Quo ille valde delectatus, quo scilicet antagonistas haberet in proximo, habitauit ibi per annos quinque: atque hoc vel maximè extremo vitæ suæ tempore refocillatus est, quod propter asperitatem difficultatemque loci & umbrarum (vt ferebatur vulgo) multitudinem, aut nullus aut rarus ad se posset, vel auderet adscendere: quan-

*In loco penè
inaccessio vltimam
degit
etatem.*

*En vt affe-
ret demonum
certaminas*

quanquam non multo post fama de paralytico ab eo ibidem curato per vicinas villas diulgata, eundem nec eo in loco diu latere permiserit.

Cæterum in eodem suo domicilio cum iam octogenarius in validum languorem incidisset & sanctissima illius anima in ultimo conflictu contra hostiles insidias decertaret, venerunt ad illum multi de Papho, viri religione præstantes. Aderat & Constantia sancta quædam foemina, cuius generum & filiam de mortis periculo olei vnctione liberauerat. Quos omnes vir sanctus adiuravit, vt ne puncto quidem horæ defunctum seruarent corpusculum, sed statim in eodem hortulo tunica cilicina, & cuculla, & sago rustico vt erat vestitum, terra operirent. Itaque ad transitum perennem iam vocatus, cum præter sensum vix quidquam viui hominis superesset, tamen apertis oculis animæ suæ ita loquebatur: Egrede, inquit quid times? egredere anima mea; quid dubitas? Septuaginta propè annis seruiti Christo, & mortem times? atque in hæc verba exhalauit spiritum. Statimque humo obrutum antè vrbem sepultum, quam mortuum nunciauerunt. Quod vt primum Palæstinæ Hesichius sanctus viri sancti discipulus rumore percepit, perrexit ad Cyprum, & cum ingenti vitæ suæ periculo, post decem ferè menses corpus eius suratus est: Maiomamque deferens, totis monachorum & oppidorum turbis prosequentibus, in antiquo monasterio integrum non modò, quasi viueret, illæsisque uestimentis, sed & tantis fragrans odoribus, vt delibutum vnguentis putat.

*Felicissime
expirat ani-
mam.*

*Post decem
menses inte-
grum corpus
eius inuentū
illæsisque, ve-
stibus ma-
iomam trās-
latum.*

purares, condidit, Quod simulac Constantia
(quæ peruigiles in eius sepulchro noctes du-
cere, & quasi cum præſente ad adiuuandas ora-
tiones ſuas fermocinari ſolebat) intellexit,
ſtatim exanimata, veram in ſeruum Dei dile-
ctionem etiam morte comprobauit. Cernas
uſq; hodiè miram inter Palæſtinos & Cyprios
contentionem: his corpus uiri Dei, illis ſpiri-
tum ſe habere certantibus. Et tamen in utriſq;
locis magna quotidie ſigna fiunt; ſed magis in
hortulo Cypri: forſan quia plus illum locum
dilexerit.

*Miracula
poſt obitum.*

VITA S. MALCI MONACHI CAP. *Vide Tom. 4. Annal. Co.*
tiui: ex ea qua eſt per D. Hieronymum egregiè 4. Annal. Co.
conſcripta. Claruit circa annum Domini 372. Baron.
ſedente Damaso Papa.

MARONIA triginta ferme millibus ab *21. Octob.*
Antiochia vrbe Syriæ, haud grâdis ad
orientem diſtat viculus. Erat illic
quidam ſenex nomine Malchus (quem nos La-
tinè Regem poſſumus dicere) Syrus natione &
lingua, & reuerà *αὐτόχθων*. Anus quoque in e-
ius contubernio valdè decrepita; & iam morti
proxima uidebatur: tam ſtudioſè ambo reli-
gioſi, & ſic Eccleſiæ limen terentes, ut Zacha-
riam & Elizabeth de Euangelio crederes, niſi *αὐτόχθων*
quod Ioannes in medio non erat. De his cùm *Luc. 1.*
curioſè ab accolis quærerem quænam eſſet eo-
rum copula matrimonij, ſanguinis an ſpiritus,
omnes voce conſona ſanctos & Deo placètes,
& mira neſcio quæ respondebant. Qua cupi-
ditate illectus, adorſus ſum hominem & cu-
rioſus ſciſcitatus rerum fidem, hæc ab eo
V acce-